

venere, majorem in modum exarsit. Nomentano nanque ponte, quem illi haud procul ab urbe præsidio occupant, recepto (in cujus oppugnatione Fracassus Ruberti filius tormento ictus pene concidit) omnis armorum impetus in Paulum Urbinum, & reliquos Virginii necessarios versus est. Siquidem Nomentum vi captum ac direptum, aliqua est ex parte dirutum. Eratque jamjam & Montem Rotundum Severinas petiturus, cum Baptista, ex Ursina familia Cardinalis, Romam profectus, ad Pontificis conspectum venit: hic se ac suos in Apostolicæ sedis potestate futuros est professus. Neque majores ulli circa urbem armorum conatus fuere. Infestantur Virginianæ equitum alæ Romanum agrum subitis excursionibus usque ad Alphonfi ex Hetruria reditum: qui cum florentissimum equitatum a Florentinis & Mediolanensibus ex fœdere accepisset, ac celeri cursu Romam duceret, Severinas cum aliquanto minoribus copiis in Faliscis sese illi objecit. Hic tumultuarium prælium commissum: aliquot equites sunt hostibus adempti. Verum enim vero Calaber suis fretus viribus, omnes Severinatis conatus novissime frustratus, in Romanum agrum tumultuose erupit. Hic Pontifex, qui constanti animo tantam belli molem ad id tempus pertulerat, etsi de accersendis ex Gallia auxiliis jam antea, ut fertur, consilium ceperat, accersiveratque per literas & Legatos (ut constans fama erat) in Italiam Renatum Lothoringiæ Ducem, quem in Ferdinandum Regem armare in animo habebat, & ad Venetos Nicolaum Francum, Taurisinum Antistitem designatum, miserat, si eos ad belli societatem aliquo modo trahere posset; quia Gallica auxilia omnino fera creduntur, & Veneti fœderibus astricti, quæ sub Ferrariensis belli exitum in Gallia cum Lodovico Sforcia, Alphonso, & Florentinis sanxerat, nihil moturi videbantur: desperatis undique auxiliis, ne rerum Romanarum statum in aliquod majus discrimen conjiceret, pacem haud iniquis ab hoste conditionibus oblatam, homo, etsi pontificiæ dignitatis assertor, pacis tamen & ocii non inimicus, libens complexus est: in